



~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Michael. alced

DE
PRÆDESTINATIONE

40

Hominum in Christo ad vitam &
salutem æternam,

THESES.

De quibus, Deo docente & iuvante,
Præside

Iohanne Frederico, S. S.

Theologiæ Doctore, & Professore, ac
Decano Collegij Theologici in
Academia Rostochiensis,

Confessionem suam edet

M. BALTHASAR MASQVEDELIVS,
Serenissimæ Reginae Daniæ Ecclesiastes, pro
Licentia sumendi gradum Doctoris
Theologiæ publicè responsurus,
die VIII. Septembris, Anno
cl. l. XCV.

LUCERNA PEDIBUS MEIS
VERBUM TVVM.

Initiò Rostochij excusæ, nunc de voluntate Collegij
Theologici in Acad. VVitteb. recusæ

VVITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri, Anno 95.

PRÆSENTATIONE

in Collegio Theologico in

THESES

De pibus hinc hinc & invinc.

Præf.

JOHANNES FICHTER 2

Philologie Doctore, & Professore, ac

Collegij Theologici in

Collegio Roschiano

ADONIS 2538 2538

SENTENTIÆ

DE.

PRÆDESTINATIONE

ad publicam συζήτησιν proposita.

I.



Vtilis ad alendam in animis Pietatem, ad exuscitandam Fidem ac Invocationem veram, & consolationem in omnibus ærumnis firmam & efficacem, est doctrina de ELECTIONE hominum in Christo IESV æterna, per Evangelion Christi Patrefacta, cuius præscriptum & ductum sequentes, explicationem illius veram, ac Deo gratam, & conscientijs salutarem, ordine, Deo docente, exponemus.

II. Ut enim, ὡς δὲ τὰ κρυπόμενα ζητῆν, ἕτως ἔσδὲ τὰ δεδηλωμένα παντελῶς ἀγνοῆν, non fas est arcana & abscondita curiose inquirere: sic quæ expresso Dei verbo revelata sunt, penitus ignorare nefas, iuxta Theodoretum.

III. Primum autem vocabula cognata: præscientiam Dei, providentiam, dispositionem seu Decretum Dei, Determinationem, & Prædestinationem (quorum ferè commune genus est sapientia seu scientia Dei) definitionibus distinguemus.

IV. Præscientia seu prævisio Dei est actio mentis divinæ, qua omnia futura necessaria & contingentia, bona & mala, non minùs quam præsentia, ab æterno prævidet ac intuetur.

V. Providentia est actio Dei, qua non solùm omnia cernit, & futura prævidet, verùm etiam naturam universam à se conditam sustentat & servat: præcipuè verò, curat genus humanum, puniens atrocias scelera atrocibus pœnis, & tandem iustos premijs ornans.

VI. Dispositio seu Decretum Dei, est actio mentis Divinæ, qua eventus futuros, ex voluntate beneplaciti sui pendentes, non modò prævidet: sed etiam disponit & ordinat, & seipsum effecturum & adiuturum esse certò decernit.

VII. Determinatio Divina, præscientiam & Dispositionem Dei complectitur, qua cunctos eventus futuros sive bonos sive malos prævidens, bonos adiuvat: malos autem permittit, & terminos ac metas constituit, quousque sit permissurus.

Præde-

lib. 6. Hi-
pog.

de predesti-
natio. Sanct.
cap. 10.

viii Prædestinationis vocabulum in genere, pro præscientia tam bonorum quam malorum, quidam usurparunt, sed propriè de salvandis & filiis Dei, nostræ Ecclesiæ illo utuntur.

ix. Et veteres ea distinxerunt, ut apud Fulgentium, Deus omnia hominum opera sive bona sive mala præscivit: quia eum latere nihil potuit, sed sola bona prædestinavit, quæ se in filiis Gratiæ facturum præscivit, Augustinus: Tenenda est Regula, quæ Divinis testimonijs claruit, peccatores in malis proprijs, antequam essent in mundo, PRÆSCITOS esse tantum, non prædestinatos. Item: Prædestinatio est, quæ sine præscientia esse non potest: potest verò esse sine prædestinatione præscientia.

x. Est autem PRÆDESTINATIO DEI seu ELECTIO, æternum decretum mentis divinæ, quo gratuita bonitate & misericordia, propter Filium, eligit ex genere humano Ecclesiam, seu populum sibi placentem & hæredem vitæ æternæ, atque ita Omnes & singulos, qui Evangelium Christi fide amplectuntur, & in hac fide usque ad finem vitæ perseverant: quibuscum in omni æternitate suam sapientiam, iusticiam, vitam & lætitiâ communicet, & à quibus vicissim celebratur.

xi. Fons autem unicus & purissimus, ex quo Electionis & salutis nostræ cognitionem haurire possumus & debemus, est solum VERBUM seu EVANGELION CHRISTI, per Prophetas & Apostolos patefactum.

xii. Non naturalis notitia seu Humana Ratio, de qua Paulus ait: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Stulticia enim illi sunt, nec potest cognoscere, Et Moses: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in Cælum? (Quis scit an sint aliqui Deo placentes ac electi? an sit Deus & qualis sit? an curet, recipiat & salvet homines? ne iudices ex cordis humani cogitationibus, quæ vel Epicuræ, vel Stoicæ, vel Academicæ sunt) sed prope te est VERBUM, quod prædicamus. Hoc Verbum in quo Dei æterni voluntatem Christus patefecit, intueri & sequere, tanquam lychnum lucentem in loco caliginoso, sic rectè Deum agnosces, & qui homines Deo placeant, & ad vitam æternam electi sint, cognosces.

xiii. Neque ex LEGE Dei, de Electione statuendum est, quæ neminem vitæ & salutis æternæ hæredem affirmat, nisi dignum seu perfectè obedientem legi Dei: Maledictos verò pronunciat omnes, qui non permanent in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.

xiv. Sed

xiv. Sed ex solo **EVANGELIO**, quod Filius Dei unigenitus, qui est in sinu patris, conscius arcani consilij patris, & intimum pectus patris introspiciebat, nobis enarravit; scientia salutis & prædestinationis nostræ peti debet.

xv. Unicum enim Electionis & salutis nostræ Fundamentum **CHRISTVS** est, qui mirando iusticiæ & misericordiæ divinæ temperamento, pro genere humano in peccatum & mortem lapsus intercessit, & se ad persolvendum λύτρον sufficiens pro peccatis hominum obtulit, ut per eum ac propter eum per Evangelion vocati, & fide ipsi infiti, iusticiæ & salutis æternæ heredes efficiamur.

xvi. Nulli igitur ad salutem æternam electi, nisi in Christo & propter Christum, imaginandi sunt. Non, n. est in aliquo alio salus, nec *Act. 4.* aliud nomen sub cælo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvari.

xvii. Quoscumq; autem elegit Deus, hos per prædicationem Evangelij vocavit ad veram Christi agnitionem & Fidem, qua promissam in Christo iusticiam & salutem æternam sibi applicent.

xviii. Nulli ergo extra cæterum vocatorum, ubi nec vox Evangelij de Christo sonat, nec promissio gratiæ Christi nota est, Electi querendi sunt.

xix. Sed Ecclesia electorum, in hac visibili Ecclesia hominum, quæ Evangelium Christi audiunt, discunt, profuerunt, collocata est: *ut sciamus, nos omnes ad Evangelium, per quod voluntatem suam Deus & sua beneficia generi humano innotescere, offerri ac exhiberi vult, alligatos esse, nec alibi electionem, aut peculiare revelationes captandas esse.*

xx. Sic autem Deus æternus, qui est ὁ Θεός, per filium legatum ad genus humanum, veracem, καὶ πάντως ἀποδοχῆς ἁγίου, voluntatem suam æternam de electione & salute hominum, perspicuis oraculis & sæpe in Evangelio repetitis declaravit: ut testetur, verè electos à Deo ad vitam æternam esse **OMNES**, qui pœnitentiam de suis peccatis agunt & Filium Dei Dominum Nostrum **IESVM CHRISTVM**, sicut se in verbo suo patefecit, agnoscunt, & propter hunc Mediatorem, pro nobis intercedentem, mortuum & resuscitatum, nos à Deo in gratiam recipi, exaudiri, & iustos ac heredes vitæ æternæ fieri **CRE- DVNT**, & in hac fide usque ad mortem perseverant.

xxi. Econtrà reijci & damnari omnes impœnitentes, qui Filium Mediatorem aspernantur, & sine pœnitentia & fide ex hac vita discedunt.

XXII. Quod autem prædestinatio Dei seu Electio ad vitam æternam, quantum ad Dei voluntatem in Evangelio declaratam atinet, sit Universalis erga omnes homines in Christum credentes, & in hac fide usque ad finem permanentes, sine ullo gentis aut conditionis aut personarum discrimine, & quod nemo fatali lege aut Dei culpa reijciatur, sed singuli sibi ipsis sua incredulitate seu perseverantia in peccatis, causa sint æterni exitij: sequentia testimonia & argumenta demonstrant.

XXIII. Hæc est voluntas patris Ioh. 6. (Extra quam nulla alia, cum ista pugnans, somnianda est. Cum enim sit verax, non sunt in Deo contradictoriae voluntates.) Qui misit me) vt homo factus, doceam Evangelion, & victima fiam) vt Omnis, (Iudeus sive ethnicus, servus aut liber, sine ulla personarum acceptione) Qui videt (fidei oculis per verbum cernit & agnoscit) Filium: & Credit in eum (propter hunc Mediatorem passum & resuscitatum se Deo placere & à Deo recipi statuit, & omnem iustitiæ & salutis suæ fiduciam in eo collocat) Habeat vitam æternam. (liberatus à peccato & morte, lucem sapientiæ, Dei iustitiam, vitam & beatitudinem æternam consequatur.)

Ioh. 3.

XXIV. Sic Deus dilexit mundum (homines impios & peccatores tentos ad pœnitentiam & salutem, vocans) vt Filium suum unigenitum daret, mediatorem & victimam pro peccatis in cruce immolatam, vt Omnis, (sine ulla exceptione) Qui credit in eum, (in doloribus pœnitentiæ certò statuit sibi peccata propter hunc filium gratis remitti, se Deo placere, & à Deo recipi) non pereat, absolutus sit & liber à peccato & condemnatione) sed habeat vitam æternam, Dei conspectu, sapientiæ, iustitiæ, & lætitiæ in omni æternitate perfruatur.

XXV. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet vel condemnet mundum, sed vt SALVETUR mundus per eum. Quia certus sermo est & omni acceptione dignus, quod CHRISTVS IESVS venit in mundum peccatores (agentes pœnitentiam & fide ad filium Mediatorem confugientes) salvos facere.

XXVI. Qui credit in eum, non iudicatur: Qui autem non credit, iam iudicatus est (sententiâ in Paradiso lata; morte morieris) Quia non credidit in nomen unigeniti filij Dei. Hoc est autem iudiciû, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.

XXVII. Eandem doctrinam de electione, & causa reiectionis impiorum, in fine capitis eiusdem, Iohannes Baptista tradit: Qui credit in
filium

filium habet vitam æternam. Qui autem non credit filio, non videbit vitam, sed IRA Dei manet super eum.

XXVIII. Ioh. 6. OMNIS, qui audit à patre (per Evangelion filij auditum & cogitatum nos docente & trahente) & DISCIT (doctus à Deo per verbum. Cum enim impossibile sit, homines sine DEO scire DEVM, per verbum suum docet DEVS homines, scire Deum) VENIT AD ME (credit in me & fit heres vitæ æternæ.)

XXIX. Et in Revelat. Iohannis: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Qui in vera agnitione & fide Domini nostri IESV CHRITI ex hac vita discedunt: horum animæ non extinguuntur cum corporibus, sed A MODO, seu rectà & continuò sunt BEATÆ, fruentes Dei conspectu, luce, sapientia, iustitia & vitæ cœlesti.

XXX. In Epistola ad Smyrneos: Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ. Omnes igitur qui fidem in filium Dei usque ad mortem auxilio Spiritus Sancti constanter retinent, certò ad vitam æternam electi sunt. Beati omnes, qui confidunt in eo.

XXXI. Denique propria hæc & præcipua vox est Evangelij, affirmans, non uni tantum & alteri in Parcarum tabulis scripto, sed universis & singulis hominibus pœnitentiam agentibus, & fide ad Christum confugientibus, Gratiam DEI, remissionem peccatorum, vitam & salutem æternam à Deo offerri & donari.

XXXII. Vt enim pœnitentiæ prædicatio universalis est, accusans & damnans omnes homines, quod sint peccatores, rei iræ Dei ac æternæ mortis, vt omne os obturetur, & reus fiat omnis mundus Deo:

XXXIII. Ira vicissim PROMISSIO Evangelij seu GRATIÆ, UNIVERSALIS est, OMNIBVS hominibus pœnitentiam seriam agentibus, remissionem peccatorum & salutem æternam propter Christum mediatorem, qui pro omnium & singulorum peccatis satisfecit, fide amplectendam, offerens ac exhibens.

XXXIV. Sicut Christus ipse sua voce AD SE OMNES sub onere peccatorum suorum laborantes & dolentes VENIRE iubet. Et Paulus: Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in Omnes & super Omnes credentes: OMNIS qui credit in eum non confundetur. Idem enim Dominus omnium, dives in omnes qui invocant eum. OMNIS enim, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Christo

- Act. 13. xxxv. CHRISTO Omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere Omnes, qui credunt in eum, In hoc Omnis, qui credit, iustificatur, Conclufit Deus Omnes sub inobedientiâ, ut omnium misereatur, (*arguit omnium inobedientiam, pronunciat omnes conclusos, & captivos sub peccato teneri, & ipsa mole morbi, reatu iræ, & panis ac mortis oppressos esse, ut omnes ad penitentiam retrahat, & omnes per misericordiam propter Christum recipiat.*)
- Rom. 11. xxxvi. Ut enim FILIVS DEI pro peccatis omnium hominû, sine ulla exceptione, mortuus est, & λύτρον sufficiens pro omnibus persolvit: ita OMNES homines Deus per & propter filiû fide agnitum & apprehensum salvos fieri cupit. Unus enim Deus, & unus mediator
1. Tim. 2. Christus Iesus: qui dedit semet ipsum precium redemptionis (*pro omnibus*) Et CHRISTVS propitiatio est pro peccatis non nostris tantum, Ioh. 1. sed etiam totius mundi, ut nominatur Agnus Dei tollens peccatum mundi.
- Deut. 18. xxxvii. Accedit ed mandatum Dei æternum & immutabile, ad Matth. 17. OMNES homines Universaliter pertinens, quod iubet AUDIRE filium, & credi filio. Hunc audite. Osculamini filium ne pereatis. Credite Evangelio. Ideo ex fide gratis, ut firma sit promissio. Qui non credit Deo, facit Deum mendacem.
- Mar. 1. Rom. 4. I. Cor. 5. xxxviii. Ut igitur ad credendum nos Deus efficacius invitet, non solum verbo & promissione filij sanguine sancita, sed etiam iureiurando suo confirmat, quod Petrus inquit, Deum non velle aliquos perire, sed omnes ad penitentiam venire. Vivo ego, dicit dominus Deus: Nolo mortem impij: sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. O beatos, quorum causa iurat Deus: O miserimos, si nec iuranti Domino credamus, ut Tertullianus exclamat.
- Ezech. 33. xxxix. Cumque Deus ἀπροσωπολήπης seu Equalis sit erga omnes æqualiter se habentes, iuxta unam Normam sapientiss. & iustiss. consilio suo statutam. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: Qui non credit filio, manet ira Dei super eum. Æqualiter ac universaliter peccatis hominum irascitur & non conversos ad filium, rejicit, ac condemnat, & vicissim universaliter ac æqualiter recipit omnes fide ad filium confugientes, sine ullo meritorum, doctrinæ, virtutum, vel aliarum conditionum & circumstantiarum vel accidentium respectu.
- Act. 10. Rom. 2. Eph. 6. Gal. 2. Deut. 10. xli. Id enim significant dicta, quæ non esse in Deo ἀπροσωπολήπης testantur: In veritate comperio, quod non est personarum acceptor Deus, Deus potens & terribilis non accipit personam,

Hanc

41. Hanc necessariam consolationem firmissimè retineamus, ut cū
trepidant mentes, num sint in numero eorum, quos Deus recipit, qui
quoscunque vellet. reijcere non iniuste possit: opponamus vocem vs
niuersalis promissionis, in qua suam voluntatem Deus patefecit,
quòd non sit tyrannus *προσωπολήπτης*, sed iustus & æqualis erga om-
nes, iuxta vnā Normam voce sua constituam, vt paulò ante dictum
est.

42. Seria igitur est & non simulata Dei voluntas, qua etiam horta-
tur & obsecrat per suos ministros, vt omnes ad cœnam magnam vo- *2. Cor. 5.]*
cati veniant, remissionem peccatorum & salutem æternam in Euan-
gelij promissione vniuersali omnibus oblatam accipiant.

43. Ideoq; Spiritum Sanctum omnibus Euangelion audientibus *Ioel. 2.*
promittit, vt fidem in eis exuscitet, & corda cum Deo copulet & ini- *Rom 10.*
tia vitæ æternæ in eis accendat. *Luc. 11.*

44. Hæc testimonia & Argumenta, quæ Prædestinationem seu e-
lectionem hominum ad vitam æternam, respectu voluntatis Dei, om-
nes homines in Christo saluos fieri cupientis, & Euangelio Christi
credentes & in hac fide vsque ad finem perseverantes ad salutem æ-
ternam recipientis, Vniuersalem esse demonstrant: Ideò copiosius
definitioni adiunximus, ut hanc pijs & anxijs mentibus necessariam
& salutarem consolationem, cūm trepidantes sæpe ambigant, an
sint in numero electorum, firmam & indubitata[m] stabiliremus.

45. Non quod vniuersos ac singulos Homines, indiscriminatim,
siue in Ecclesia, seu cœtu vocatorum versentur, siue extra Ecclesiam:
siue in Christum credant: siue non credant, vt Neronem, Heliogaba-
lum, Iudam proditorem, ad vitam & salutem æternam, electos ac
prædestinatos esse, temerè ac impiè fingeremus.

46. Nullam enim, extra CHRISTUM fide agnitum & apprehen-
sum, esse ad vitam æternam electorum Ecclesiam, firmissimè credi-
mus.

47. Nunc cætera doctrinæ de Prædestinatione capita, vt methodi
ratio requirit, ordine addemus.

48. Causa EFFICIENS Electionis est Deus, immenso amore erga ge-
nus humanū, & bonitate ac misericordia plus quàm paterna prædesti-
nans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum, iuxta
beneplacitum voluntatis suæ, in laudem Gloriæ gratiæ eius, qua gratis *Eph. 1.*
nos Deus sibi gratos efficit in dilecto.

49. Causa IMPVLSIVA, quæ mouet Deum, vt nos indignos, mi-
seros &

B

feros & damnatos homines, non in æternum cum Diabolis abijciat, sed immensa misericordia in Christo Vniuersos & singulos audientes filium, & in fide perseverantes, æternæ vitæ destinet, est sola intercessio & meritum filij DEI, D. N. IESV CHRITI, qui semetipsum in arcano consilio Divinitatis, pro genere humano *λύτρον* sufficiens obtulit, *Eph. 1.* Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem.

50. Causæ Instrumentales, seu Media & organa, per quæ Deus electionem nostram in Christo patefacit, & nobis applicat & obsignat, est prædicatio Evangelij de Christo, seu promissio Gratiae Dei, remissionis peccatorum, Spiritus sancti & salutis æternæ gratis propter Christum donandæ, in publico ministerio ad omnes sonans: & Sacramenta seu visibilia verba promissionis, in ritibus Baptismi & Cœnæ Domini.

51. Statuit enim Deus, liberrimo & sapientissimo voluntatis suæ consilio, hæc media, seu modum consequendæ per Christum & in Christo salutis æternæ: qui per vocem Evangelij seu promissionis gratiæ, sua beneficia offert ac exhibet omnibus, qui fide ea petunt, accipiunt & retinent. Evangelium enim est potentia Dei (*medium per quod Deus est potens ac efficax*) ad salutem omni credenti.

52. Medium igitur seu Instrumentum in nobis, quo promissam Dei Gratiam & salutis æternæ hæreditatem, per Christum & in Christo apprehendimus, & nobis applicamus, est SOLA FIDES, statuens se quoque juxta promissionem Evangelij universalem, à Deo in gratiam & ad salutem æternam recipi: sibi quoque mandatum esse, ut Filium Dei audiat, agat pœnitentiam, & se recipi à Deo propter mediatorem credat.

53. Etsi enim quod ad Electionem & salutem nostram attinet, omnis illius causa in solidum Gratiae ac misericordiae DEI, non nostræ Dignitati, aut operi & merito ulli tribuenda est:

54. Tamen, cum in promissione Evangelij gratuita & universali nobis offeratur, concurrere in accipiente oportet apprehensionem promissionis, seu fidem credentem promissioni, non ratione dignitatis & meriti, sed ratione apprehensionis, cum unicum illud instrumentum sit, quo CHRISTI beneficia amplectimur, nec certa & rata promissio sit ulli non credenti.

55. Ut igitur in iustificatione, non propter fidem, seu dignitatem operis, sed per fidem, seu propter CHRISTVM Fide apprehensum, nos iustos & DEO acceptos esse sentimus: Ita quoque Electi sumus ab æterno,

ab æterno, non propter Fidem, tanquam ex illius dignitate & merito, sed per & propter CHRISTVM solum Fide apprehendendum.

56. Placet enim DEO Fides, & omnibus cæteris operibus in Iustificatione antefertur, non propter suam Dignitatem ac meritum, sed propter Christum Mediatorem, quem amplectitur.

57. Nec vult DEVS te, in veris doloribus, qualitatem seu infirmitatem Fidei, & languorem motuum novorum, quos in te sentis, sed FILIVM Dei mediatorem, pro TE in cruce mortuum & resuscitatum & sedentem ad dexteram patris intueri: vt Israelitæ, oculos à moribus serpentum lethalibus in æneum serpentem in deserto exaltatum dirigebant.

58. Cùm autem obijciant trepidæ mentes, Fidem Dei donum & opus esse, nec omnium esse fidem, nec ad filium quenquam venire, nisi quem pater traxerit.

Ioh. 6.

2. Thess. 3.

59. Resp. Verissimum esse, homines à Deo trahi (*neq; enim proprijs liberi arbitrij viribus quisquam in Iesum Christum credere vel ad eum venire potest*) sed orditur Deus & trahit suo verbo, & Spiritu sancto, per vocem Evangelij prædicatam, lectam, auditam (*Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei.*) Per hoc verbum auditum & cogitatum Deus efficax est, & mentes ad assensionem flectit, ut statim sequitur: Omnis qui audit à patre & discit, venit ad me.

Rom. 10.

60. Cùm igitur audimus & discimus verbum, per quod Deus nos docet & trahit, nec contemnimus illud aut contumaciter repugnamus, non indulgem⁹ diffidentia, nõ violentos raptus expectam⁹, sed voce divina tracti assentiri conamur, & cupimus in Dei gratia esse, & simul cum patre Lunatici oramus: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meæ: non dubitemus, Deum hanc scintillam fidei in nobis accendisse, eamque exuscitare, augere & confirmare velle; modò ipsi meditationem Verbi & Divinarum promissionum, & Invocationem nos à DEO doceri & regi petentem, simul exerceamus.

61. Sciamus etiam severissimum Dei mandatum esse, vt filium verbo suo nos docentem, audiamus, & Promissioni Gratia ab illo patefactæ credamus, & quanquam infirma est fides, tamen Deo gratam esse, modo ipsi eam non excutiamus, aut prorsus extinguere sinamus, sed augeri eam & confirmari petamus, sicut scriptum est: Petite & accipietis. Item: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum Sanctum pe-

B 2

tentibus



Psal. 67.] tentibus, non ijs, qui contemnunt aut repugnant, sed qui suam imbecillitatem ac miseriam agnoscunt, & auxilium quærunt. Sic opitulatur Spiritus infirmitati nostræ.
Luc. 11.

LXII. Atque hæc non à securis, & ebrijs ambitione, voluptatibus, sed in quotidianis veræ poenitentiae, invocationis, crucis & consolationum exercitijs disci ac intelligi possunt.

LXIII. Materia circa quam Electionis, sunt Omnes Homines in Christum credentes, & usque ad finem in fide perseverantes.

Eph. 1. LXIV. FINIS Prædestinationis nostræ in adoptionem filiorum per IESVM CHRISTVM est, vt simus in laudem Gloriæ Gratiae Dei, qua dilexit nos in dilecto.

65. Colligit enim sibi Deus Ecclesiam electorum ex genere humano, quibus suam bonitatem, sapientiam, lucem iusticiam & vitam, per & propter filium partam, gratuita misericordia impertit, vt Bonitatem hanc Dei immensam & amorem erga nos plùs quàm paternum, & divitem Gratiam suam, in hac vita & omni æternitate agnoscamus, laudemus, celebremus, debita prædicatione & Gloria afficiamus.

1. 1107 LXVI. Deinde elegit nos in Christo, vt simus sancti & irreprehensibiles coram ipso in hac vita imputatione & inchoatione, in futura, consummatione; seu (vt *Zachariae verbis utamur*) ut serviamus ipsi in sanctitate & iusticia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ.

Eph. 2. LXVII. Ipsius enim opus sumus, conditi in Christo Iesu ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in eis ambulemus.

LXVIII. Ideo hortatur Petrus, ut studeamus per bona opera nostram vocationem ac Electionem firmam facere: non quòd per se infirma sit, vel nostris viribus stabilior reddi Electio queat, sed propter ordinem salutis æternum & immutabilem, ut perseveremus, & in Fide per bona opera efficace usque ad mortem constanter duremus.

LXIX. Effectus prædestinationis est perpetua collectio & conservatio ac defensio Ecclesiæ: Quam Deus, non volens perire totum genus humanum, immensa misericordia propter filium semper voce Evangelij vocat, trahit, & colligit, & recipit assentientes Evangelio, atque ita semper aliquam Ecclesiam electorum sibi placentium, & hæredum vitæ æternæ servat, quos exaudit, adiuvat & salvat.

Matt. 28. LXX. Semper enim aliquos esse in hoc modo electos, testatur Christus: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.

Matt. 24. Propter electos abbreviabuntur dies illi. Item in adventu Filij hominis, duo erunt in agro, unus assumetur, alter relinquetur. Et Oves

Ioh. 10. meæ vocem meam audiunt, & ego novi eas, & sequuntur me, & vitam

tam æternam do eis, & non rapiet eas quisquam ex manu mea.

LXXI Cumq; magnum certamen hac voce: Nemo rapiet eas ex manu mea (*dum scilicet oves meæ, me audientes & sequentes, manebunt*) significetur: præparemus ac muniamus nos πανοπλία Dei, ac exci- Eph. 6.
tantes & alentes fidem divinis promissionibus, seu vocem Christi audientes & sequentes, invocemus filium Dei custodientem & servantem oves suas, ut nos quoque, in hoc grege, adversus diabolum & hostes omnes servet ac defendat.

72. Possunt inter effectus, etiam media seu organa per quæ suam Electionem Deus exequitur, & ad finem salutis nostræ optatum per- Rom. 8.
venit, recenferi. Primum vocatio per ministerium Evangelij & Sa- Matt. 22
cramentorum ad fruitionem vitæ æternæ. Deinde Iustificatio seu applicatio Electionis ad singulos credentes. Ad extremum, communicatio Gloriæ æternæ, in perpetua Dei ac electorum consuetudine.

73. Hanc totam doctrinam de Prædestinatione, non ad curiosas & prophanas disputationes, sed ad exercitia Fidei, & consolationem salutarem transferamus: & juxta præceptum Pauli, nos ipsos probe-
mus, an simus in fide? & cognoscamus Iesum Christum in nobis esse, 2. Cor. 13.
nos membra Christi, fide ei insertos, ideòque electos esse.

74. SIGNA enim seu τεκμήρια Electionis certa atque indubitata habemus primum, quòd per prædicationem Evangelij Christi, ad salutis æternæ societatem vocati sumus.

75. Deinde PROMISSIO Gratiae & salutis æternæ universalis & Gratuita in Evangelio patefacta, Ioh. 3, 6. Hæc est voluntas Dei patris, ut OMNIS, qui credit in Filium, habeat vitam æternam. Ego credo, quamvis imbecilla & languida fide, sed tamen fide. Ergo.

76. Præterea Baptismus, quo in fœdus Gratiae & salutis æternæ cooptati & recepti sumus. Salvos enim nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti. Et Cœna Domini, quæ est pignus & sigillum applicationis Gratiae seu remissionis peccatorum, quam suo corpore & sanguine, omnibus ad ipsum confugientibus, promeruit.

77. Spiritus Sanctus, per Evangelion & Sacramenta accendens & obfignans in nobis FIDEM, qua nos personam & beneficia Christi agnoscere & promissioni Evangelij assentiri, & credere nobis peccata remitti, & vitam æternam donari scimus: & quotidie Deum fiducia filij invocamus: & in fide virtutem, seu studium obedientiæ ac integritatis vitæ & bonæ conscientiæ declarantes, firmam vocationem 2. Pet 1.
& electionem nostram facimus, ut Petrus loquitur.

78. Postremò, Promissiones de firmitate Electionis, & auxilio Dei confirmantis & servantis Fidem nostram, vt in ea vsq; ad finem vitæ possimus perseverare. Oves meæ vocem meam audiunt, & nemo rapiet eas de manu mea. Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Orat autem Christus non pro Apostolis tantum, sed pro omnibus credituris per verbum eorum in ipsum, Et similes promissiones, *Thil. 1. 2. 1. Pet. 5. 1. Cor. 10.* & alibi extant.

*Iob. 10.
Luc. 22.
Iob. 17.*

79. Quibus Fidem ac inuocationem exuscitemus & stabiliamus, vt vna cum Paulo hanc *πληροφορίαν* vsurpare possimus: Certus sum, quod neq; mors neq; vita, neq; Diaboli, neq; tyranni &c. nec vlla creatura possit nos auellere à dilectione Dei, qua nos diligit Deus in Christo Iesu Domino Nostro.

Rom. 8.

80. Ita doctrinam de Prædestinatione, ad exercitia fidei & consolationem salutarem transferamus, & in meditatione verbi & promissionum ac beneficiorum Christi, in exercitijs veræ pœnitentiæ ac conversionis, & promissionum applicatione, & studio sanctimonix ac integritatis vitæ perseverantes, salutem promissam certò expectemus.

81. Cùm autem hanc *πληροφορίαν* Fidei de electione, in mentibus humanis, multæ terribiles & gravissimæ Tentationes oppugnet: et vera hæc ac simplex & ad pietatem, fidem & inuocationem alendam utilis de Prædestinatione doctrina hætenus recitata, multis falsis opinionibus & tetrīs erroribus pollui & corrumpi soleat, præmonendæ sunt piorum mentes veris sententijs & Iudicijs, vt puritas doctrinæ & consolationum in hoc Articulo conseruetur, ne in barathrū desperationis vel prophanitatis Epicureæ turbulentis hisce disputationibus, mentes non præmonitæ præcipitentur.

82. Primum enim multi, rerum humanarum confusiones, & pariter calamitatibus opprimi bonos & malos, cernentes, ac sine discrimine omnes pios & impios, non secus ac poma vel pecudes interitui & morti obnoxios esse, non leuiter hac dubitatione excruciantur: AN SINT aliqui inter homines Electi? an sit aliqua Ecclesia Dei in genere humano, quam Deus peculiariter præ alijs cœtibus diligat, curet, exaudiat, seruet & salute æterna donet.

83. Cui periculosa dubitationi, ac verè ignito telo Diaboli, opponenda est asseueratio Articuli Fidei nostræ, Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam, in mundo à Deo electam, Deo charam, & placentem, & æternorum bonorum hæredem. Cuius Ecclesiæ proprium patrimonium



monium & signum, quo agnoscitur, est vox doctrinae Legis ac Evangelij in libris sacris patefactae: Quam verè à DEO traditam esse miracula propria naturæ Diuinæ, & omnipotentis, in educatione ex Ægypto, & resuscitationibus mortuorum à Christo, Prophetis & Apostolis edita, & alia firma & illustria testimonia demonstrant.

84. Semper autem in mundo diuersi ac dissentientes populi, de hoc glorioso titulo Ecclesiae Dei, seu populi à Deo electi, inter se pugnant, vt hoc tempore Christiani, Iudæi, Mahometistæ, & inter Christianos Pontificij & alii dissentientes: sicut Apostolorum tempore, Iudæi, se esse Ecclesiam Dei non errantem, & populum à Deo peculiariter electum, contra Paulum & cæteros Apostolos contendebant.

85. Docet igitur Paulus *Rom. 9.* quæ sit vera Ecclesia seu populus Dei, seu homines Deo cari ac electi ad vitam æternam, videlicet non nati carnali generatione ex Abraham, & proprijs operibus ac meritis, iustitiam ac salutem æternam obtinere volentes, sed omnes ex Iudæis & Gentibus gratuita misericordia propter Christum electos esse, qui per Evangelion vocati, in Christum credunt & in hac fide vsque ad finem vitæ perseverant. Iudæos igitur quotquot non ex fide in Christo gratis, sed in proprijs operibus seu obedientia erga legem, iustitiam & salutem quærunt, à Deo non electos, sed reiectos & damnatos esse.

86. Ad hunc finem & scopum præcipuum, tota illa Pauli Disputatio de Prædestinatione referenda est, *Rom. 9. 10. 11.* vt in fine 9. & 10. cap. dicitur: Omnis qui credit in eum, non confundetur, &: Omnis, qui invocauerit nomen Domini (*Christi*) saluus erit.

87. II. Horribiliter angit animos cogitantes de electione & fidem languescit INDIGNITAS nostra. Cum enim dignos & bene meritos, innocentia vitæ, iustitia, & cæteris virtutibus præstantes, ELIGI, & Deo curæ esse, Legi Dei consentaneum sit, nos verò indigni & scedè polluti peccatores Deo displicentes, & à Deo maledicti & damnati simus iuxta sententiam legis: Maledictus omnis, qui non permanferit in omnibus his, quæ scripta sunt in libro legis: quomodo igitur nos electos & Deo placentes esse statuemus?

88. Huic grauissimæ tentationi, vocem Evangelij de gratuita peccatorum pœnitentiam agentium receptione propter filium, opponamus. Quæ quidem hanc ipsam ob causam à Deo patefacta est, vt certam & firmam consolationem, aduersus peccata & propriam indignitatem

Rom. 4. nitatem, mentes perterrefactæ haberent. Ideo ex fide gratis, ut sit
Tit. 3. firma promissio, quæ si ex conditione legis & nostræ dignitatis pen-
deret, nunquam certa & firma esset. Non ex operibus iustitiæ, quæ
Rom. II. nos fecimus, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Si
ex Gratia, non iam ex merito operum, alioquin Gratia non esset Gra-
tia. (Gratuita)

89. Quantaunque igitur indignitas nostra, & peccatorum nostro-
rum moles, multitudo, malitia, fœditas & turpitude fuerit: tamen
Gratiam exuberare supra peccatum, & maiorem Dei misericordiam,
quàm omnium peccatorum miseriam esse, & precium seu λύτρον pro
peccatis à filio Dei persolutum, longè omnia superare & præponde-
rare statuamus.

90. Et precationem, optimis & grauissimis versibus, Misericordi-
am & Gratiam Dei, exuberantem supra peccatum, celebrantem sub-
inde repetamus.

Christe, tua est nostris maior clementia culpis.

Et dare non dignis, res magis digna DEO est.

Quamquam sat digni, si quos dignatur amare,

Qui quos non dignos invenit, ipse facit.

Ergo tuos placido miserans precor aspice vultu,

Quos fecit natos Gratia, culpa reos.

Culpa reos fecit, sed vincat gratia culpam:

Ut tuus in nostro crimine crescat honos.

Da precor huic tanto, qui semper fervet, amori

Ardorem in nostris cordibus esse parem.

91. Ita exemplo Davidis, Manassis, Petri, Latronis in cruce & a-
liorum horribiliter lapsorum: & promissione remissionis peccatorum
Gratuita, in Evangelio revelata, nos sustentemus, & Deo laudem
misericordiæ & veritatis servantis promissa tribuamus, nec ad cæte-
ra peccata hanc horribilem blasphemiam addamus, ut Dei gratiam
ac misericordiam & Christi λύτρον, inferius ac imbecillius nostris pec-
catis existimemus.

92. III. Magis etiam excruciat animos & fidem electionis labe-
factat Tentatio de PARTICULARITATE. Cum enim audimus,
non nostram dignitatem & operum merita, sed Gratuitam Dei mise-
ricordiam esse causam Electionis: & tamen paucos electos esse: ma-
gis etiam angimur, cur non omnium pariter Deus misereatur? Cur
sine causis aliquos ex genere humano excerpit, cæteros pares rejici-
at? an

at? an Deus sit æqualis vel προσωπολήπης? an nos etiam simus in numero paucorum illorum, quos ad salutem æternam ex cæteris hominibus excerpfit.

93. In hoc difficili & periculoso agone, ad hanc arcem & petram firmis, videlicet ad PROMISSIONEM GRATIÆ Vniversalem, asseuerantem, Deum propter mediatorem, Gratis, omnibus perterrefactis promittere remissionem peccatorum & salutem æternam, confugiamus; & ad dicta vniversalia, quæ omnes, qui Evangelio credunt, & ad filium Dei mediatorem confugientes in fide ex hac vita discedunt, ad vitam æternam electos esse, confirmant, nobis inculcemus, quæ à Thesi 22, 23, usq; ad 45, collecta sunt.

94. Et sciamus, de voluntate Dei, non nisi ex hoc verbo revelato statuendum: Nec fingendam in Deo voluntatem aliam contradictoriam illi, quam Filius revelavit. Et mandatum Dei vniversale & immutabile esse, vt omnes credant filio, iuxta dictum; Hunc audite, & Beati omnes qui confidunt in eo.

Io. 3. et 6.

95. Missus enim est FILIVS Dei, non tantum vt seriam hanc & non simulatam voluntatem Dei, quod non paucos tantum selectos, sed omnes homines in Christo salvos fieri velit, & Gratiã Dei salutiferam omnibus hominibus illuxisse, nec vlllos perire, sed omnes ad pœnitentiam venire, converti ac liberari à morte cupiat, annunciaret:

1. Tim. 2.

Tit. 2.

2. Pet. 3.

Ezech. 33.

96. Verum etiam, vt pro Omnium hominum peccatis λύτρον sufficiens persolveret, nec paucos tantum ex genere humano selectos redimeret, sed omnium hominum ac toti⁹ mundi peccata expiaret. Vt enim omnes nos quasi oves errauimus, sic posuit Dominus in Eo iniquitates OMNIUM nostrum. Estq; propiciatio pro peccatis, non nostris tantum, sed etiam totius mundi. Vnus enim pro omnibus mortuus est, ac vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus semetipsum dedit precium redemptionis pro Omnibus.

Esa. 53.

1. Iob. 2.

2. Cor. 5.

97. IIII. Non enim pro fidelibus & electis tantum crucifixus & mortuus est Christus, vt Calvini sectatores contendunt, intollerabilem, impiam, & blasphemam vocem esse, CHRISTVM etiam pro damnatorum seu pereuntium peccatis mortuum esse, contra expressa scripturæ testimonia: Erunt Pseudoprophetae in populo, cum qui mercatus est eos, Dominum negantes, celerem sibi damnationis interitum attrahentes. Cum effugissent inquinamenta mundi per agnitipnem Iesu Christi, his rursus implicati superantur, vt fiant eis extrema peiora primis. Voluntarie peccantes post acceptam agnitio- nem veritatis, sanguinem testamenti prophanant, in quo sanctificati sunt

2. Pet. 2.

2. Pet. 2.

Hebr. 10.

C

sunt

sunt, & spiritum gratiæ contumelia afficiunt. Neque enim reprobi isti poterant sanctificari, si pro illis suffus non fuisset, Christi sanguine, **xcviii.** Et si autem vniuersale est meritum Sacrificij Christi pro omnium ac singulorum hominum peccatis in ara crucis oblato, & vniuersalis promissio Gratia omnibus beneficia Christi offerens; & sic dilexit Deus mundum seu totum genus humanum, vt filium suum vnigenitum daret:

xcix. Tamen non propterea totum mundum seu omnes homines sine vilo fidei in CHRISTUM respectu, ad vitæ ac salutis æternæ fruitionem electos ac Prædestinatos esse fingimus: cum disertè addat Christus, vt OMNIS, qui CREDIT in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui verò non credit, iam condemnatus est, quia non credidit in nomen vnigeniti filij Dei.

C. Nulli igitur, extra Christum fide agnito, & extra cœtum audientium Euangelion de Christo, Electi quærendi sunt *Eph. i.* Elegit nos in Christo.

CI. Per Christum autem & in Christo eligit nos Deus, non tanquã in fatales tabulas inscribendo, & paucos & certos tantum homines ex cœtu credentium ad salutem destinando, reliquis omnibus reiectis, sed iuxta liberrimum clementis, voluntatis suæ, beneplacitum ordinando modum salutis per Christum consequendæ: Qui per vocem Euangelij gratis sine vllis nostris meritis communicat sua beneficia cū omnibus, qui fide ea apprehendunt, & ad finem vsque retinent.

Matth. ii.
Luc. 24.
Matth. 22.
2. cor. 5. **CII.** Vocat igitur Christus ad se OMNES: et ad cœnam magnam Gratia Diuinæ: & ad nuptias Filij sui inuitantur plurimi, & obsecratur, vt oblata CHRISTI beneficia accipiant.

CIII. Sed cum ea petulanter respuant & contemnant, efficitur ex posteriore, vt multi vocati, pauci verò sint electi. Non quidem Dei culpa, qui non vult mortem peccatoris, sed omnes homines in Christo saluos fieri cupit, verum propria hominum malitiã, qui ad nuptias inuitati recusant venire.

Rom. 11. **civ.** Quod autem Deus gentes plurimas, & florem sapientiæ ac virtutis Ethnicæ, in Euangelij ignoratione relinquens, plurimis seculis non vocauit, Dei consilium occultum esse potest, inquit Augustinus, iniquum esse non potest. Dei enim iudicia nemo plenè comprehendit, iuste nemo reprehendit, iuxta Paulum; O tu homo, quis tu es, qui responsas Deo? O altitudo diuitiarum,

Nihil o

105. Nihilominus nos, in verbo & voluntate ipsius revelata
quiescere, & ardenti pectore Deo gratias agere decet, quod nos in-
dignos, & nihilò damnatis Ethnicis meliores, ad lucem Evangelij
sui & æternam salutem vocavit.

106. Nos igitur vocem Evangelij nobis prædicatam reverenter
audiamus, discamus, meditemur, & veræ fidei ac pietatis cursum usque
ad extremum vitæ spiritum, Deo auxilium petentes juvante, con-
stanter teneamus, *Ebr. 3.* Christi participes facti sumus, siquidem ini-
tium fidei usque ad finem firmum tenuerimus.

107. Non enim bene cæpisse satis est, sed sanctos etiam ac renatos,
non perseverantes, & contra conscientiam labentes, excidere Gratia
Dei, & amittere fidem, Spiritum Sanctum & vitæ æternæ hæredita-
tem, nisi rursus ad Deum convertantur: exempla primorum paren-
tum (*qui sancti & electi fuerunt,*) Aaronis, cui iratus fuit Dominus ut *Deut. 9.*
voluerit excindere eum, Davidis, Petri, & aliorum innumerabilium
ostendunt.

108. Et testimonia scripturæ plurima & manifestissima demonstrant
Rom 8. Si (*vos Romani, quibus nunc nulla condemnatio est in CHRISTO*
IESU, & donati spiritu DEI) secundum carnem vixeritis, moriemini,
Tu fide constitisti, si permanseris, alioquin & tu excinderis. *Rom. 11.*
Ne alijs prædicans, ipse reprobus fiam. Iustus ex fide vivet, & si subduxerit se, *1. Cor. 9.*
non placet animo meo. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum san- *Heb. 10.*
ctum tuum ne auferas à me. Possunt igitur sancti, contra conscientiam *Psal. 51.*
lapsi, rursus abijci à Deo, nisi ad Deum redeant *Matth. 25.* Non novi
vos, *Luc. 11.* Cum immundus Spiritus exierit, &c. fiunt ultima dete-
riora primis, Item 2. Pet. 2. *Luc. 8.* ad tempus credunt. *1. Cor. 10.*
Omnes biberunt de Petra, sed plerisque eorum non approbavit DE-
VS. ut *Eph. 5. Gal. 5. 1. Cor. 6.* iisdem ferè verbis repetitur. scortatione,
adulterio, idolatria & similibus delictis pollutos non habituros hæ-
reditatem in Regno DEI *Ezech. 18. 33.* Cum recesserit iustus à iustitia
sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea.

109. Hæc exempla & testimonia copiosius recitavimus, ut pro-
phanam securitatem, omnibus innatam, & facile vitiosis moribus in-
dulgentem frenemus, & bonam militiam, in retinenda fide, & bona
conscientia, adversus omnes tentationes, illecebras & terrores, *Eph. 6.*
fortiter militemus. Atq; ita in timore & tremore, petentes

C 2

à DEO

à DE O auxilium & successus salutare, perseverare in bene cæpto pietatis & salutis cursu studeamus.

110. VIII. Postremò, quòd ad Reprobos, abjectos & damnatos atinet: horrenda blasphemia est, quòd quidam asserunt, Deum ab æterno, immutabili consilio, maximam generis humani partem, odio habitam, nullo infidelitatis, aliorumve peccatorum respectu, sed ex absoluto & solo voluntatis suæ arbitrio, æternæ damnationi destinasse, & causam reprobationis, non in homine, sed suprema & prima causa, videlicet libera Dei voluntate quærendam esse, &, DEVM non tantum ad Damnationem, sed etiam ad causas damnationis (peccata & scelera) prædestinasse quoscunque libuerit.

111. Testatur enim Deus de voluntate sua, in verbo à se pæfacto, cuius contradictoria nulla in Deo verace fingenda est, quòd ab æterna salute neminem absoluto decreto exclusit, sed OMNES homines SALVOS fieri cupiat. Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à vijs suis, & vivat:

1. T. m. 2.
17. b. 18.

112. Idque non solum verbo suo & asseveratione simplici, verum etiam Fidei nostræ imbecillis erigendæ causa, iureiurando gravissimo confirmat Ezech 33. VIVO EGO, dicit Dominus. Quam certum est, quòd ego Deus vivam, tam certum est, me NOLLE mortem impij seu damnationem æternam, sed hoc velle, ut convertatur & vivat. Et quare moriemini domus Israël, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, Revertimini & vivite.

113. Pjal. 145. Bonus Dominus unive rsis, & miserationes eius, super omnia opera eius. 2. Pet. 2. Deus longanimis est erga nos, NOLENS VLLOS PERIRE, sed OMNES ad pænitentiam venire. Rom. 11. Conclufit Deus omnia sub peccatum, ut omnium (fide ad se confugientium propter Christum) MISEREATUR. Illuxit enim Gratia Dei salutifera Omnibus Hominibus fide eam amplectentibus) Tit. 2.

114. Neminem igitur, absoluto & immutabili decreto, nisi propter impietatem & impenitentiam, exitio destinavit Deus, nec ad damnationem ac interitum, quosdam homines creavit, sicut asserunt quidam, prout in alter utrum finem (vitam vel damnationem æternam) quisque conditus sit: ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum esse.

Creatis

115. Creatis enim rebus. **VIDIT** Deus omnia, quæ fecerat, et erant valdè bona. Atqui damnationi destinatum, bonum esse nihil potest.

116. Cùmque ad imaginem & similitudinem suam Deus hominem condiderit, ut Deo similis, iustus & beatus esset: certè ad salutem homines, non ad interitum creauit.

117. Sap. 11. Et misereris Omnium, Quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum (*diuersas penas*) propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti, neq; enim odians aliquid constituisti aut fecisti.

118. Quod autem obijciunt ex Salomone: Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, etiam impium ad diem malum, & ex Paulo, vasa iræ apparatus ad interitum: etsi impium, quatenus homo est, Dei opus esse constat, tamen quatenus impius, non ex Deo sed patre Diabolo est. Deus verò, propria voluntate & impellente Diabolo peccantem & ab impietate sua non recedentem, ad debitas & iustas pœnas ordinat.

119. Nec similitudo de luto & figulo, cùm nullum simile per omnia congruat, eò detorquenda est, quod Deus sit causa peccati, & reiectionis nostræ, & quod impij nihil agant, sed tantùm patiantur, se instar luti a Deo figulo ad impietatem & damnationem condi & formari; sed eatenus congruit similitudo, quod ex vna massa generis humani, **DEVS** & conuertit multos (*in Christum credentes*) & contumaces ac incredulos reijcit.

120. Cùmque tolerasse multa lenitate vasa iræ apparatus ad interitum dicatur, certè non ea condidisse ipse, sed à Diabolo, Spiritu efficace in filijs inobedientiæ, & propria voluntate corruptæ naturæ, impios ac impænitentes factos & induratos, velut alienum opus, sibiq; minimè placens, ruisse censendus est.

121. Quod de induratione Pharaonis, Excæcatione mentium infidelium, deceptione errantium Prophetarum, & Principum, Traditione in reprobum sensum, obtenditur: piæ mentes hanc hypothesein & principium Theologiæ firmum & immortum semper in conspectu & ob oculos teneant, Deum non esse causam peccati, nec velle, nec adiuuare, nec confirmare peccata in Diabolis & hominibus, nec impellere voluntates ad peccandum, nec approbare peccatum, sed verè ac horribiliter irasci peccatis, eaq; odisse Gen. 1. Psal. 5. Eccl. 15. Psal. 91. Ioh. 8. Rom. 5.

122. Sic igitur dicta de Induratione & similia, nō de fatali necessitate

aut impulsione, vel efficaci actione aut instigatione Dei, sed permissione aut desertione, phrasi Ebreæ explicantur, ne Deus peccati & contumaciæ impiorum efficax causa & autor constituatur, ut Augustinus in Psal. 77. de Ægyptijs scribit, Obdurationem cordis eorum, ut populum Dei nolent dimittere, cum Deus facere dicitur, non instigando & inspirando, sed deserendo facit, ut angeli mali operentur in filijs diffidentia, quod Deus debite iusteq; permittit.

123. Quod Chrylost. ad hunc modum expressit: οὐκ αὐτὸς ἠθῶν, ἀλλὰ γυμνῶν τῆς ἐαυτῆς βουθείας. Et alibi: Neminem ad peccandum impellit vel cogit Deus: prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Cur igitur non vindicet iustus? quæ fieri non cogit præscius.

124. Vtcunque autem hæc disputentur, sicut multa inextricabilia colligi ab hominibus acutis, de Divina permissione, prævisione, & sustentatione naturæ peccantis, possuat: tamen hæc vera sententia vero pectore amplectenda & retinenda est, etiamsi non possumus omnes argutias, quæ opponuntur, extricare. Omnia enim potius dicam, inquit, Clemens Alexandrinus, quam Deum esse causam peccari.

125. Simpliciter itaque, ex testimonijs verbi divini, asseverationem, ad hanc ἀρχὴν ἀρχῶν, quod Deus non sit causa peccati, congruentem, retineamus: Culpam Reiectionis & Reprobationis hominum, non in Deo, sed ipsis impijs hære, videlicet perseverantiam in peccatis, quod vocationem ad pœnitentiam & salutem, per vocem Evangelij factam, contemnunt; & volentes in tali contemptu & impœnitentia perseverant, aut fidem abijciunt, antequam ex hac vita discedant.

126. *Ezech. 18. 33.* Vive ego, Nolo mortem impij. *Ose. 13.* Perditio tua est Israël: tantum in me auxilium. *Iob. 3.* Qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum: &, Qui non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. *Ezech. 18.* Si avertet se iustus à iusticia sua, & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? In peccatis suis, quæ peccavit, in ipsis morietur.

127. Nemo igitur causam interitus sui Deo aut fato tribuat, ut ille in Tragœdia inquit: Fati ista culpa est. Nemo fit fato nocens, sed prævæ suæ voluntati & contumaciæ repellenti Gratiam in Evangelio oblatam: & Spiritui Sancto volenti per verbum in eis efficaciter operari, hostiliter resistenti imputet, ut Rom. 10. ex Esa. dicitur;
Tota

Tota die expandi manus meas ad populum contumacem & contradicentem mihi. *Matth. 23.* Quoties volui te congregare & noluisti. *Pf. 95.* Hodie si vocem eius audiueritis, nolite obdurare corda vestra. *Esa. 65.*

128. In hac simplici sententia, debitam Deo optimo, misericordiae & iustitiae laudem tribuente; & ad fidem ac invocationem, & studium pietatis in animis exuscitandum & alendum utili, & ad veram consolationem efficace acquiescamus, & Stoica illa horribilium furorum portenta, quae & in Deum blasphema sunt, & pias mentes ad desperationem adigunt, in impijs verò securitatem furenter omnibus cupiditatibus frenos laxantem alunt, & verae pietatis ac fidei Christianae nervos incidunt, toto pectore exercemur.

129. Et Filium DEI, DOMINUM NOSTRUM IESUM CHRISTUM, ardentibus votis precemur, ut Ecclesiam electam sibi ex genere humano, per ministerium Evangelij perpetuo colligat, & nos in ea doceat, gubernet, ac fervet, & vasa misericordiae suae efficiat, ut DEO grata, & alijs hominibus salutaria discamus & doceamus, & in vera fide ac invocatione sui, usque ad finem perseverantes, ad Electorum caelestis Academiae societatem translati, aeterni Dei erga nos Bonitatem & Misericordiam plus quam paternam, & filium ipsius salvatorem nostrum, propter quem Electi salvamur, & Spiritum Sanctum in omni aeternitate laeti & grati celebremus. AMEN.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, possibly a date or signature, appearing as a faint stamp or mark.



Additional faint, illegible text or markings at the bottom of the page, possibly bleed-through or a second stamp.



Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄e.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni. B.

Thesi. de iustificatione hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatione contra Flacianos Joh. Ferriarii.

Assert. Theol. de iustificatione hominis coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa de iustitiā fidei ab opibus, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quarū una de sanctorū in vitā aeternā beatitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant ps. 3.

1. qd fit Gog Magog, Babel, Meses, 2. qd per vocab. Turca significantur
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutando duobus cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo et loco ubi ista evenient. 3. Cuius ob caus Turca Christianis immittat. 4. Cuius ratione sit repri-
mend. 5. Quo pacto et quibus armis tandem medicis ista gentes sint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi. de Predestinatione D. FREDERI.


Dis. de reali communicatione idiomatum in unā Personā Christi, M. Berndes.

Dis. de Baptismo capite papae D. RUNGII.

Thesi. de Sacramentis in gr̄e GESNERI.

Them. Theologica de orali corporis Christi in cenā manducatione dictis Eucharistia D. GESNERI.

Them. Theol. de communicatione idiomatum reali tertii grati, D. GESNERI.



DE
PRÆDESTINATIONE

40

Hominum in Christo ad vitam &
salutem æternam,

THESES.

De quibus, Deo docente & iuvante,
Præsides

Iohanne Frederico, S. S.

Theologiæ Doctore, & Professore, ac
Decano Collegij Theologici in
Academia Rostochiensis,

Confessionem suam edet

M. BALTHASAR MASQVEDELIVS,
*Serenissimæ Regiæ Daniæ Ecclesiastes, pro
Licentia sumendi gradum Doctoris
Theologiæ publicè responsurus,
die VIII. Septembris, Anno
cl. l. XCV.*

LUCERNA PEDIBUS MEIS
VERBUM TVVM.

*Initiò Rostochij excusa, nunc de voluntate Collegij
Theologici in Acad. VVitteb. recusa*

VVITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri, Anno 95.

